ipſi Epiſcopi ſuam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recuſent. Si autem Epiſcopi Dięceſani ter requiſiti à Fratribus Mendicantibus, iuxta formam capituli. 1. de Supplenda negligen. Prælato noluerint gratis conſecrare eorum Eccleſias, & Altaria, & alia Pontificalia exercere: tunc poſſunt ab alio Epiſcopo hęc fieri, etiam ipſis inuitis Dięceſanis.

10 ¶ Idem Leo. 10. conceſſit Generalibus Prouincialibus, & Cuſtodibus, nec non, & Guardianis Fratrum Minorum obſeruantię, pro tēpore exiſtentibus, ꝙ poſſint reconciliare Eccleſias, &c. quę quomodolibet ſanguinis, vel ſeminis effuſione pollutæ fuerint: ſed hoc faciant cum aqua per prædictos Prælatos benedicta, pręſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicētem per duas dietas adire non potuerint. Ex Compē. vbi ſupra nu. 14. ¶ Circa hanc conceſſionem aduerte primo, ꝙ Eccleſiam pollui nil aliud eſt, quam interdici, & prohiberi in ea celebrari Miſſas, & alia Officia diuina. Secundo aduerte, ꝙ qui ſcienter in Eccleſia polluta celebrat, peccat mortaliter, non tamen fit irregularis. cap. Is qui de ſententia Excōmun.

lib.